DE AETATE ET AUCTORE PHILOPATRIDIS DIALOGI

(qui una cum Lucianeis edi solet).

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

PRO SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN UNIVERSITATE LITERARUM JENENSI PROPOSUIT

HENRICUS WESSIG

PROGYMNASII BOPPARD. PRAEC.

CONFLUENTIAE 1868.

EX TYPOGRAPHIA H. HILDENBRANDTII.

Viro Amplissimo et Doctissimo

Carolo Menn

Gymnasii Directori in urbe Novesio

Praeceptori Dilectissimo

D. D.

Pio et Grato Animo

Scriptor.

Caput I.

Priusquam rem ipsam, quam nobis tractandam proposuimus, aggrediamur, paucis exponere liceat, quae in dialogo nostro insint, quidque auctor, quisquis fuit, spectavisse videatur.

Triephon quidam occurrit Critiae amico, quem corporis animique habitu valde conturbato esse miratur. Cuius rei causam quaerenti respondet Critias, se oratione magna aliqua et impedita (*μέγαν τινὰ καὶ ἠπορημένον λόγον ἀκήκοα* cp. I.) penitus esse attonitum; postquam autem animum suum collegit, iurat per Jovem, non fore, ut ipse Triephonti repetenda ea, quam audiverit, oratione molestias afferat. Id iusiurandum forte fortuna causam praebet ad principes gentilium deos acerbissime perstringendos. Item christianorum religio, quamquam Critias exhortante amico per Deum eorum iurat, adeo non defenditur, ut luculenter appareat, auctorem etiam magis hanc quam illam antiquam religionem oblectamento et derisui habere. Tandem abruptum filum resumitur, et Critias copiose exponit, quid in secretis quorundam christianorum coetibus compererit, passimque contra eos acre venenum effundit. Supervenit Cleolaus, qui nuntium praeclarissimae victoriae affert, quam Imperator (*ὁ αὐτοκράτωρ*) de Persis reportaverit. Discedunt duo amici, magno gaudio ac maiore etiam spe elati quum de publicis, tum maxime de suis privatis rebus, iamque eas ipsas largitione potentissimi Imperatoris levari confidunt.

Ex eo, quod leviter attigimus, argumento intelligi potest, quid auctor assequi voluerit, vir scilicet admodum a rebus sacris alienatus deditusque eis, quae ad usum vitae quotidianae pertinent [1]). Deridére enim studet utramque religionem, et paganorum, et christiano-

---

[1]) M. Gesnerus (cf. disputationem eius, — in qua de nostra quaestione agitur, quaeque invenitur in ed. Bip. Luciani vol. IX. p. 561 ff. — p. 571 cap. XIV.) sub Critiae persona auctorem latere censet, Wielandus (cf. *s. Uebers. v. Lucian, Leipzig 1789, 6. Th. p. 420 A. 64*) sub Triephontis persona. Ego ita cum hoc facio, ut auctorem Critiae quoque, praecipue extremo in dialogo, suam opinionem docendam tradidisse censeam. Triephon enim et Critias, quamquam hic illius se discipulum esse fingit, idem sentiunt tamquam *καλὴ ξυνωρίς* (cf. Philop. cap. 28).

rum [1]). Qua in re ita versatur, ut in suspiciosos monachorum [2]) coetus, ubi secreta contra publicam salutem vota suscipi opinatur, irritato animo summae acerbitatis virus evomat. Neque cordi curaeque quidquam ei est, nisi bonus status reipublicae et, ut videtur, suae ipsius rei familiaris. Haud enim temere ex fine dialogi (cap. 29.) colligitur, eum Imperatori se commendare voluisse.

Caput II.

Neque finis, ad quem singulae dialogi partes diriguntur, neque sales, qui ubique per eum disseminati sunt, plane abhorrent ab ingenio et natura Luciani, ingeniosi illius Samosatensis [3]). Nam is

---

[1]) Leguntur quidem in libro, qui inscriptus est: *Characteristik Lucians v. Samosata von C. G. Jacob. Hamburg 1832 p. 167* haec verba: *Zur Vertheidigung des Christenthums ist sie (die Schrift Philopatris) nicht geschrieben, wie freilich Kestner (in der Agape p. 418 ff.) angenommen hat; es möchte überhaupt wohl schwer sein, durch eine genügende Erklärung der griechischen Worte eine klare Ansicht von des Verfassers Sinn und Glauben über das Christenthum zu gewinnen.* Neque tamen ego Wielando assentiri dubito, qui (l. c. p. 382 *A*) auctorem eorum numero adscribendum esse dicit, quos nos vocamus: „*Deïsten*“. Ea verba, quae contra hoc iudicium pugnare videantur, ironice dicta sunt, velut cp. 12: *Σίγα τὰ νέρθε, καὶ τὰ σιγῆς ἄξια, οὐκ ἔσθ' ὧδε μετρεῖν τὰ ψυλλῶν ἴχνη* (cf. Aristoph. νεφ. 143 . . .), et cp. 27: „*ὥστε ἔασον τούτους, τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρὸς ἀρξάμενος, καὶ τὴν πολυώνυμον ᾠδὴν ἐς τέλος ἐπιθείς.* „*Τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρός*“ Wielandus ita interpretatur, ut orationem christianam ex verbis: „*Vater unser*“ ordientem indicari suspicetur; idque iure. Eodem enim sensu, quo vocabulum „*πατήρ*“ primam Trinitatis personam significat, etiam alias usurpatum esse vidi cp. 12: „*υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον,* cp. 18: *Νὴ τὸν υἱὸν ἐκ πατρός.* Aliter verba explicat ille Jacob p. 168. Minus recte Wielandus verba: *καὶ τὴν πολυων....*“ doxologiam esse putat: „*Wir loben Dich, wir preisen Dich* .... Alteram potius doxologiam significari verisimile est: „Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto“, et propter vocem „*πολυώνυμον*“ et quod haec explicatio magis quadrat ad verba: *τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρός.* Sunt enim duae doxologiae, quae vocantur, maiores cf *Kirchenlexicon von Wetzer und Welte* sub voce: *Doxologie.*

[2]) Cf. p. 15 ff. ubi ostendere conatus sum, in dialogo agi de monachis, non de christianis omnis generis.

[3]) Cf. *Schölls Grch. Litg. Uebers. v. Pinder Th. 2, p. 493 ff.: Er (der Verf. des Philop.) verspottet ziemlich Lucianisch den griechischen Götterglauben und noch schonungsloser, ja mit Erbittrung die Religion der Christen, die er als böswillige Unterthanen und schlechte Bürger schildert* (non christianos, sed christianorum partem, monachos, describit cf. p. 15 ff.) ...*Der ganze Ton verräth die Bitterkeit eines Apostaten*“; *und* cf. Wiel. l. c. p. 384: „*Uebrigens däucht mich, dass es dem Autor mehr*

quoque solis humanae rationis adminiculis usus, ac tantum, quantum sibi persuaserat, verum esse ratus [1]), omnem erga deos pietatem exuerat, eosque eo certius pessumdedit, quo elegantiore usus est pugnandi ratione; quumque e more aequalium falso iudicio de christianis, quos Judaeorum aliquam sectam esse putabat, praeoccupatus esset, tamquam superstitiosos nugatores illos despexit, neque, ut altius in praecepta novae religionis intraret, curae habuit. Quidquid sane ad religionem spectabat, ei impedimentum esse videbatur, quominus salus reipublicae et singulorum adiuvaretur et augeretur [2]). Verum enimvero Lucianus huius dialogi auctor esse nullo modo potest. Jam Aldina editio in fine haec habet: „οὗτος ὁ διάλογος νοθεύεται τῶν Λουκιανοῦ“ [3]). Et si quis nonnullos tantum illius dialogos pertractavit [4]), Lucianum et in meditando sublimiorem et in scribendo magis modicum et concinnum fuisse, quam auctorem Philopatridis, negare nequit. Quum in Luciano nescio quid fuerit divini et singularis ingenii, nostrum scriptorem crassa Minerva plura compilasse, minora ex se ipso, et ea parum apte in medium protulisse patet. Omnia ut paucis dicam: Libellum habemus haud quidem insulsum, fucatum tamen ῥητορικῶς et ineptiarum plenum, eumque emissum ex animo in quodvis sacrum valde excitato. Magnum discrimen, ut exemplum afferam, intercedit inter Peregrinum Proteum, quo potissimum dialogo Lucianus christianos aggreditur, et inter Philopatridem. In illo omnia decurrunt nobili quodam et sedato tenore [5]); in hoc statim ab initio legentium animi fastidio afficiuntur. Annon parum nobilis animus misere proditur hisce locis, qui casta sane simplicitate carent: cap. 2, „Φὺ, φὺ κ.τ.λ.“; cap. 20: „Ἀνθρωπίσκος δέ τις, τοὔνομα Χαρίκενος (qui κενὰς χάριτας pollicetur), σεσημμένον γερόντιον, ῥέγχον τῇ ῥινὶ, ὑπέβηττε μύχιον, ἐχρέμπτετο ἐπισεσυρμένον· ὁ δὲ πτύελος κυανώτερος θανάτου· εἶτα ἤρξατο ἐπιφθέγγεσθαι κατισχνημένον.“ Cuius generis acerbitates de industria ad absurdum auctae apud Samosatensem inveniuntur nullae. Neque in libello, de quo agimus, desunt alia, quae omnem modum excedant. Inprimis offendimur mira illa ra-

---

an Geschmack, als an Witz fehlte, dass er seinem ältern Vorgänger (Lucian) ähnlicher gewesen sein würde, wenn er ihm nicht hätte gar zu ähnlich sein wollen.

[1]) Ut noster auctor cf. Phil. cp. 12 Σίγα .....

[2]) Cf. Jacob l. c. p. 141 ff.

[3]) Cf. Gesn. diss. l. c. cap. XII. p. 569.

[4]) Legi ipse Peregrinum Proteum, Nigrinum, quorum uterque quandam cum Philopatride similitudinem habet, et Laudationem in Demosthenem.

[5]) Cf. illud initium, ubi Lucianus Peregrinum describit in Palaestina versantem.

tione, qua auctor se antiquitatis studia amplexum esse ostentat [1]). Nam quam plurima potest ex Homeri mythologia ac permultos versus ex hoc poeta et ex Aristophane tam flagranti studio arripit, ut perlegentes defatigemur magis, quam oblectemur. Et dubitamus interdum, utrum rideamus, quum auctor epicum et grande dicendi genus affectat et simia fit leonis exuviis induta, an eius misereamur, utpote qui, etsi multa multo studio contulit, tamen laudabile opus non ediderit.

Pluvias ille aquas colligit, non vivo gurgite exundat, quod contra dicit Quintilianus (D. inst. orat. X 1, 109) de Cicerone. Neque solum in dicendi genere negligit illud Horatii: „Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum" [2]), sed etiam in sententiis ostendit modo aliquid monstrosi, velut in initio cap. 3: „*Βαβαὶ τοῦ ἀναφυσήματος, ὡς τὰς νεφέλας διέστρεψε· σεφύρου γὰρ ἐπιπνέοντος λάβρου, καὶ τοῖς κύμασιν ἐπωθίζοντος, Βορέην ἄρτι ἀνὰ τὴν Προποντίδα κεκίνηκας, ὡς διὰ κάλων αἱ ὁλκάδες τὸν Εὔξεινον πόντον οἰχήσονται* . . . .", modo aliquid languidi, velut haec (cf. in fine cap. 2): *Φύ* . . . ." (cp. 18): „*ἀλλ' ἄγε δὴ τὸ θαυμάσιον ἐκεῖνο ἀκουσμάτιον ἄεισον, ὅπως κἀγὼ κατοχριάσω, καὶ ὅλως ἀλλοιωθῶ* . . . . ." et (cp. 27.): „*ὁρᾷς γάρ, ὡς ἐξώγκωταί μου ἡ νηδύς, καὶ ὥσπερ κυοφορῶ.*" Quin etiam inveniuntur, quae secum pugnent: sic (cp. 1. sub finem) Critias ait, se, tamquam vertice correptum, de rupe praecipitaturum fuisse, nisi subito a Triephonte suscitatus esset, in initio cp. 27. fatetur, se conviciis a monachis in se collatis taciturnam eamque immobilem statuam esse redditum. Ecquis intelligit, eundem Critiam (cap. 23.—27.) libere cum monachis colloqui, et postea ob eam quam supra diximus causam defixum stare? Triephontem porro ieiuno sermone cum ieiunitate relato ita posse affici, ut verbis (cp. 27,): *ὁρᾷς γάρ, ὡς ἐξώγκωται* . . . ." indicatur? Ceterum ea pars, quae amplectitur cp. 23.—27., praestat ceteris omnibus totius scripti et, quasi quaedam summa eius medulla, paulisper nobiscum auctorem in gratiam reducit. Permagno quoque intervallo is a Luciano abest, si, quos versus quaeque vocabula uterque adhibet, inter se conferuntur. Hic facere non possum, quin me vix quaedam magni momenti eis addere posse confitear, quae doctissimus Gesnerus [3])

---

[1]) Ne ipsos quidem scriptores antiquos legisse videtur, sed eos, qui antea ex eis fontibus hauserunt; errat in cp. 4. laudans Homerum cf. Gesn. annotationes in ed. Bip. p. 507 — *παρ' Ὁμήρῳ* —.

[2]) Horatius quidem haec docet (Sat. l. I. 1, 106 ff.) de avaritia et luxurie pariter fugienda.

[3]) Cf. eius diss. cp. XXII—XXV.

de verbis in Philopatride haud necessario repetitis [1]) et de pravis ejus dialogi versibus disseruit, nisi quod singula totius libelli accuratius mihi legenti mirum videbatur, auctorem etiam pedestri oratione utentem ea captare, quae vel poetica sint vel ab usitata dictione longius recedant [2]). Nec dispositio Philopatridis vel oeconomia quam vocant displicere non potest. Nam postquam in exordio in summam venimus exspectationem, quid tandem horribile Critias auribus unguibusque [3]) audiverit, torquemur magna digressione, qua quindecim capita (4.—19.) referta sunt. Tandem aliquando (cp. 19.) Critias inducitur novam illam orationem cum amico communicans, non scilicet, ut spes nostra expleatur, sed ut meminerimus illud Horatii [4]): „Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.“ Restat, ut neque res bellicas, quae in Philopatride commemorantur, neque cognitionem doctrinae christianae, quae multo minor erat in Luciano, quam in imitatore eius, cum ea sententia conciliari posse dicamus, qua olim opus clarissimo illi scriptori satirico tribuebatur.

Itaque quum hic libellus a Luciano non confectus sit, tamen et magna quae ubique regnat cupiditas sacra spernendi et colendi rempublicam [5]) dictonisque singula ita reddunt referuntque Lucianum, ut similitudo inter praeceptorem et discipulum adesse videatur, et suo iure Wielandus arbitretur [6]), totum dialogum, ut cornicem Aesopeam, plumis contectum esse Luciano evulsis. Placet, hoc loco ex annotationibus, quas Gesnerus egregium quoddam corollarium editioni suae adiecit, pauca testimonia conferre: cp. 1.: „*δυσχεραίνεις καθ᾽ ἡμῶν ἢ ἐκκεκώφωσαι*“, cf. Luc. in Votis sive Navi c. 10.: „*ἢ δυσχεραίνει καθ᾽ ἡμῶν, ἢ ἐκκεκώφωται*“ [7]). Cp. 2.: *Οἶδ᾽ ὅτι οὐ μικρὸν οὐδὲ εὐκαταφρόνητον πρᾶγμα ἀνακυκλεῖς*, cf. Luc. in Navig. c. 11.: „*οὐ μικρόν οὐδ᾽ εὐκαταφρόνητον πρᾶγμα ὡς δοκεῖς ἀνακυκλῶν*“ [8]). Cp. 22.: „*εἶς δὲ δριμὺ καὶ Τιτανῶδες ἐνιδὼν..*“ cf. Luc. Icaromen. cp. 23.: „*ὁ Ζεὺς μάλα φοβερῶς δριμύ τε καὶ*

---

[1]) Nonnulla tamen adiungere liceat: *ἀσελγὴς* vel vocabula eiusdem stirpis cp. 4. bis, cp. 7. bis et cp. 11.; *πρῴην* cp. 8., et cp. 12. (duobus deinceps versibus, diverso sensu); *Γιγαντολέτις* cp. 4. et 8.; *ἐγχαράσσαι* cp. 13. et cp. 17.; *πεδάρσιοι* cp. 2. et cp. 24.

[2]) Satis sit aliquot locos enumerasse, cp. 1.: *βυσσοδομεύω, αἴω, πελαστέω*, cp. 2.: *νηδύς*, cp. 3.: *Εὔξεινον πόντον οἰχήσονται* omissa praepositione *εἰς*, et: *εὔηχα κελαδεῖν*, cp. 4.: *ἀμυμέναι*, cp. 5.: *ἰητρός*, cp. 7.: *Ἑρμείας*, cp. 8.: *Γοργόνος*. cp. 19: *παπταίνω κ.τ.λ.*

[3]) Cf. cp. 3 extrema Triephontis verba.

[4]) Cf. Epist. III. (ad Pisones) l. II. v. 139.

[5]) Hinc nomen fortasse: *Φιλόπατρις*.

[6]) Cf. *W. Uebers. p. 390.*

[7]) Cf. ed. Bip. Luciani p. 502.

[8]) Cf. l. c. p. 504.

Τιτανῶδες εἰς ἐμὲ ἀπιδὼν κ.τ.λ." [1]). Plura memorare longum est. Quin etiam Gesnerus affirmavit, descriptionem Philopatridis Nigrino Luciani accommodatam esse, et optimo quidem iure, quia Nigrinus alteri scriptori tamquam exemplar tantopere ante oculos versabatur, ut vel levissima res, morsus rabidi canis, utrobique similiter reperiatur [2]).

Caput III.

Ne longius a fine aberremus, iam ad ipsam disputationem eruditissimi Gesneri redeamus, nobiscum reputantes, quomodo is inde a capite 26. filum commentationis suae pertexuerit. Quam sententiam (cp. 26.) uni ex aequalibus, cui Laerosio (la Croze) nomen erat, tribuit, eam pluribus verbis refellere ac diluere liceat. Compluribus de causis Lacrosii coniectura, ex qua dialogus Imperatore Aureliano (270—275) factus est, aliquam veritatis speciem accipit. Prae ceteris in hoc tempus res bellicae cadere videntur, quarum mentio fit (cp. 28.) in nuntio victoriae allato:

„Πέπτωκεν ὀφρῦς ἡ πάλαι βοωμένη Περσῶν,
Καὶ Σοῦσα κλεινὸν ἄστυ κ.τ.λ." [3]).

Primus versus bene refertur ad Palmyram, sedem Zenobiae, ab Aureliano expugnatam. Namque ea bellicosa Odenathi uxor, quae per quinque annos magnam Asiae partem suo arbitrio moderabatur cuiusque amicitiam Persia, Armenia, Arabia studiose petebant, eo maiorem metum Romanis iniiciebat, quod tum insuper ei a Gothis vexabantur [4]) Secundus versus forsitan *ὑπερβολικῶς* dictus sit, neque, quia *ἐπινίκιον* alicuius hominis gaudio exsultantis habemus, ad unguem resecandus. Eodem tempore penes Firmum, socium Zenobiae, regnum erat Aegypti, quam mox pacatum iri Triephon (cp. 29.) confidenter sperat. Huc addendum est, quod Lacrosii suspicio satis idonea est, quae aliquid lucis afferat obscuro huic loco: (cp. 9.) . . . *οἶδα γὰρ μυρίας διαμελεϊστι τμηθείσας „Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ, Κρήτην*

---

[1]) Cf. l c. p. 536.
[2]) Cf. Philop. cp. 27 et Nigr. cp. 38 (ed. Jacobitz vol I. Lipsiae 1836)
[3]) Sine dubio primi duo versus unum efficiunt; ita interpretari cogimur verbis „δ' ἔτι", quae coniunctionem secundi et tertii versus non admittunt. Falso igitur Gesnerus vertit: „Cadetque Susa mox . . . . cf. p. 266 ed. Bip. et Corpus scriptorum historiae Byzantinae XI. „Leo Diaconus" p. 341 et diss. Gesn. cp XXXIV.
[4]) Cf. *Gibbon's Gesch. des Verfalls und Untergangs des röm Reiches, 2. Bd. 2. Th. p. 258 ff. (Frankf. u. Leipz. 1800.)*

δέ τέ μιν καλέουσιν" [1]). Historiae enim fide comprobatum est, tertio post Christum natum saeculo a. 269. aliquot duces earum navium, quibus Gothi, ex Ponto Euxino profecti, tum Europae Asiaeque litora devastabant, dissidio in classe exorto, cursum tenuisse ad insulas Cretam et Rhodum [2]): *Πρόσω δὲ τῶν Σκυθῶν ἐλασάντων, καὶ Ρωμαίων αὐτοῖς ἐπακολουθούντων, οἱ Κρήτην καὶ Ρόδον περιπλεύσαντες βάρβαροι πράξαντες οὐδὲν ἀφηγήσεως ἄξιον ἀνεχώρησαν.*" Neque obstant verba: „*πράξαντες οὐδὲν* —". quod veri simillimum est, barbaros praedae cupidos in litora saltem caedem et devastationem intulisse; „*μυρίοι*" [3]) autem idem indicat, quod in lingua latina: „sexcenti". Mores porro Aureliani, tenui loco orti, non ita diversi erant ab eis, qui *αὐτοκράτορος* illius fuerint oportet: rustici nempe et asperi; atque, quominus is Imperator a. 275. christianos vi opprimi iuberet, subita tantum morte impeditus est [4]). Nec magis, quam mores Aureliani, contra Lacrosium pugnat status, qui tum erat et religionum et literarum. Annon, quoniam utraque secta derisui habetur, dialogus videtur tum compositus esse, quum ante Constantini Magni aetatem nova religio cum antiqua luctabatur? An scribendi ratio, quae in Philopatride invenitur, eis aliena est, quae de sophistis secundi et tertii p. Ch. n. saeculi Bernhardy, vir ille amplissimus, disseruit [5]). „*Augenblickliche Themen, mochten si nun Gemeinplätze sein, oder Schaustücke des Wissens und seltsame Paradoxa, wurden mit gespreizter Diction und pikanten Wendungen anmuthig behandelt*". Itaque Lacrosii sententiam quibusdam praesidiis minime levibus fulciri posse liquet. Eadem claudicat non una ex parte. Jam enim Scythae [6]), quos Lacrosius Gothos esse interpretatur, Dacia accepta firmas fixasque sedes obtinebant. Tum finis capitis 2. et initium capitis 3. docent, scenam dialogi fuisse Byzantii, quae tamen urbs ante C. M. neque artium literarumque domicilium neque omnino celebris erat. Deinde verba: „*πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον*" [7]) certam mihi, quae in usum abierat, formulam efficere videntur, quae anno demum 381. p. Ch. n. ab ecclesia christiana constituta est [8]). Capite igitur XXVI. disputationis Ges-

---

[1]) Cf. Hom. Od. A 50.
[2]) Cf. Gib. l. c. p. 226, 227 et Zosimi hist. I. 46.
[3]) *μύριοι* = 10,000.
[4]) *Universalgesch. der christl. Kirche von Joh. Alzog. 1. Abth. p. 129.*
[5]) *Bernhardy's Griech. Litg. 1. Th. p. 587 ff.*
[6]) Cf. in Philopatride cap. 29.
[7]) Rem sic se habere, iam sacra scripta docent cf. evang. Joannis. XV. 26.
[8]) Cf. Alzog l. c. p. 468: „*Die letztern (Griechen) waren bei der Bestimmung des zweiten ökumenischen Concils zu Ct (381): „der h. Geist gehe vom Vater aus", d. i. aus dem Wesen des Vaters, stehen geblieben.*

neri uberius fusiusque explanato, videamus, quid probabilitatis prae se ferat alia rursus coniectura [1]), qua natalem libelli nostri aetatem in imperium Diocletiani (284—305) incidere creditur. Ipse Gesnerus (cp. XXVII.) nonnullas causas ex historia sumsit, ut eam opinionem falsam esse ostenderet. Quibus argumentis nihil habeo, quod contradicam, immo habeo, quae adiungam. Persicum enim bellum Diocletianus gessit Aegypto pacata [2]); in Philopatride autem (cp. 29) iam devictis Persis Triephon se sperare ait, fore, ut Aegyptus sub ditionem Romanam redeat. Neque profecto Diocletiano, pio Jovio — hoc cognomen assumpserat — quisquam se commendare ausus est coacervatis in gentilium deos iniuriis. Denique causae petitae ex eo, quod Byzantii [3]) dialogus actus vel etiam scriptus est, et quod diserte ratio habetur (cp. 12.) notae de Spiritu Sancto formulae, quarum rerum utraque iam ad priorem thesim valebat, huc quoque pertinent.

Caput IV.

Quodsi Philopatris duobus eis Imperatoribus scriptus esse nequit, proximum est, ut animum advertamus ad Julianum Apostatam, qui principatum tenebat inde ab anno 361 usque ad annum 363. Et sic statuit Gesnerus, ut Julianum *αὐτοκράτορα* esse diceret, qui in fine dialogi summis laudibus efferretur; eamque opinionem, quae ei omni ex parte probata erat, per viginti quinque annos constanter tuebatur [4]). Atque primum quidem singulis vocabulis, quibus in Philopatride occurrimus, thesim suam commendari arbitratur (cp. XXX.). Veluti plura dicit de vocabulo „*ἐξισωτής*“, cuius significationem nobiscum communicat in annotationibus p. 527., ac nititur his Eusebii Nicomediensis verbis [5]).

„*Ἐπεὶ δὲ ἕτεροι τὰς τῶν πρότερον κρατούντων τῆς γῆς κατα-*

---

[1]) Haec quoque originem ducit ex rebus bellicis in extremo dialogo memoratis.

[2]) Cf Gib. l. c. p. 407.

[3]) Vocabulum *Μεσορί* (cp. 22), nomen mensis Aegyptii, forsitan adhibitum sit in ominibus praedictionibusque christianorum relatis idcirco, quod divinatoriae artes ab antiquissimis inde temporibus propriae erant Aegyptiis cf. Gesn. Annot. p. 536. Quid autem Byzantii sibi velit „*τὸ ἐν τῷ θεάτρῳ ἀναγεγραμμένον ὄνομα ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν*“ (cp 21) equidem nescio. Qua de re apud Gesnerum nihil repperi.

[4]) Disputatio illa, quam iam saepe laudavimus, habita est Jenae a. 1714, retractata et aucta publiceque disputata Lipsiae 1730; retractata iterum et castigata Gottingae 1741.

[5]) Cf. De vita Constantini 4, 3.

μετρήσεις κατεμέμφοντο, βεβαρῆσθαι αὐτῶν τὴν χώραν καταιτιώμενοι .... ἄνδρας ἐξισωτὰς κατέπεμπε, τοὺς τὸ ἀζήμιον τοῖς δεηθεῖσι παρέξοντας"; pergit Gesnerus suis verbis ita: „Apparet, si nihil aliunde afferatur, quod prohibeat, commode verba Eusebii de prima huius muneris origine posse intelligi. Occasio mittendi Peraequatores indicatur, iustitia in ea re Constantini laudatur: quod non adeo magnam vim haberet, nisi ille primus id beneficii tribuere oppressis instituisset". Quasi non ipsa aequa tributorum descriptio iam Imperatori magno honori fuerit, — sed ipse procedit: „At loquitur tamquam de hominibus olim notis Eusebius." Recte ita, nam simpliciter ministros vocat: „*ἄνδρας ἐξισωτάς*", nihil adiungens, unde pateat, novum munus indicari et nuper institutum. Et ipse Gesnerus hoc sensit, respondens ad dubitationem a se sibi oppositam: „Recte illud quidem. Quo enim tempore haec scribebat, noti fuere. Ante Constantini aetatem potuerunt (quaeritur nonnisi hoc, utrum debuerint fuisse ignoti, necne; eos *potuisse* apparet) fuisse ignoti." Ergo hoc vocabulo usus Gesnerus docere frustra conatur, ante C. M. libellum nostrum scriptum non esse. Neque maioris momenti sunt, quae Gesnerus, ut commentationem nostram IV. saeculi esse probabile redderet, proposuit de vocabulis: „*πολιτικός*[1]), *πολυάσχολος μαθηματική, κράτος, ξυνωρίς*. Nihil persuadet, nihil cogit, potest ita esse, non debet. Multo plus valent, quae Gesnerus ex historia deprompsit, et ex Eutropio quidem haec[2]): „Julianus ingenti apparatu Parthis intulit bellum, cui expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida et castella Persarum in deditionem accepit, vel vi oppugnavit. Assyriamque populatus, castra apud Ctesiphontem stativa aliquamdiu habuit" .... Quae pressa verba me abstinere non possum, quin accuratius pertractem[3]).

Anno 362. parat Julianus bellum contra Persas, contendit Antiochiam, ibi per hiemem commoratur, a. 363. ad Euphratem appropinquat, Mesopotamia perlustrata compluribusque Assyriae oppidis (Perisabore et Maogamalcha) captis non plus undecim millibus passuum distat a Ctesiphonte, capite regni Persici et sede Saporis, neque nisi summis difficultatibus ab ea urbe oppugnanda prohibetur. Classe combusta Tigrim traiicit. Jam Ecbatana et Susa[4]) non procul aberant, quum penuria alimentorum ac perfidia ducum Impera-

---

1) „*πολιπκός*" non, ut vult G., per se „*ἐξισ—*" significat. Nam cp. 19. illud quod latius patet vocabulum in sequenti versu explicatur voce „*ἐξισ—*" substituta.

2) Cf. Eutrop. X, 8.

3) Cf. *Gib. 4. Thl. Leipzig (b. Weygand) 1790. cap. XXIV. p. 436 ff.*

4) Cf. Gib. l. c. cp. XXIV., p. 49.

torem, ut reverteretur, adduxerunt. Quibus facinoribus ἐπινίκιον illud positum esse posse, nemo non concedet. Minus facilis est ad intelligendum spes, quae de Aegypto mox subigenda concipitur, propterea quod res Alexandriae[1]), ubi Georgii episcopi crudelitate tumultus exortus erat, eiusque successor, celeberrimus Athanasius, Juliani iussu loco movebatur, neque quidquam habebant, unde magnum imperio periculum instaret[2]) et ante expeditionem Persicam compositae erant. Simili modo de Scythis timendum non erat, sed Gothis cum Romanis iam pridem certa erat pax, quae anno 366. demum turbari coepta est[3]). Ut res bellicae maximam partem Gesneri sententiam adiuvant, sic etiam res domesticae tantum ad libellum expediendum conferunt, ut non miremur, quod vir ille eruditissimus tamdiu eidem iudicio adhaesit. Capite 24. ita monachi loquentes inducuntur: „. . . δυστοκεῖ γάρ ἡ πόλις[4]) . . . . (cp. 25.) ὡς μεταλλαγῶσι τὰ πράγματα, ἀταξίαι δὲ καὶ ταραχαὶ τὴν πόλιν καταλήψονται, τὰ στρατόπεδα ἥττονα τῶν ἐναντίων γενήσονται“. Eius generis sollicitudines, Apostata Imperatore, ex anxiis et superstitiosis christianorum animis facile proficisci poterant. Ex quo tempore Constantinus M., ut christiana religio publica esset, decreverat et ecclesiam multis beneficiis affecerat[5]), christiani diu felici conditione utebantur, quae ne esse desineret, Juliani tempore eo magis timendum erat, quo vehementiore suae religonis studio is incensus erat atque inflammatus. Ac si imperium assecutus hic non subito se in christianos iniquum praestabat: eo metus eorum vix ac ne vix quidem tollebatur. Immo vero tulerunt ita et eruditio et iuvenilis ardor Juliani, ut paulatim suae sectae participes ceteris civibus praeferret et eos, qui Christum sectabantur, praesertim quum res eorum laete efflorescceret, sibi maxime adversarios esse arbitraretur. Itaque re vera factum est, ut ille non solum suam de religione opinionem scribendo tueretur et defenderet[6]), sed etiam, ipse Pontifex Maximus, veteris religionis instituta revocaret et emendaret[7]), Judaeis[8]) prae christianis faveret atque hos grammaticam et rhetoricam docere[9]) amplio-

---

[1]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 411, 425, 426.

[2]) Quae Gesn. cp. XXXV. in longam verborum seriem extendit, altius repetita sunt.

[3]) Cf. Gib. l. c. cp. XXV., 243, 247.

[4]) ἡ πόλις κατ' ἐξοχήν est Byzantium, hoc loco et alias.

[5]) Cf. Alzog l. c. p. 207 ff.

[6]) Gib. l. c. cp. XXIII., p. 341 ff.

[7]) Gib. p. 348 ff

[8]) Templum Hierosolymae restitui iussit cf. Gib. p. 376.

[9]) Gib. p. 389.

ribusque muneribus fungi vetaret [1]). Vel in nomen christianorum [2]) odium suum convertens, in communem usum recepit odiosam vocem Galilaeorum.

In hoc autem ipsum vocabulum incidimus in Philopatride (cp. 12.): .. „ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐσ τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας, καὶ τὰ κάλλισα ἐκμεμαθηκώς, δι' ὕδατος ἡμᾶς ἀνεκαίνισεν ....“ Ecce illud argumentum, quo Gesnerus non minimo causae suae praesidio uti videtur [3]). Haec enim sunt ipsa eius verba: (cp. 39.) „Quae res (spectans ad vocem Galilaeorum) vel sola si esset, probabilem alicui sententiam, quam defendendam suscepi, redderet.“ Ego tamen eis verbis sine dubitatione non assentior. Neque enim christiani illo loco vocantur Galilaei, sed orator quidam christianus, qui ita describitur, ut satis clara Pauli Apostoli imago exprimatur [4]), quem (cf. Act. Apost. 24, 5) accusatores dicunt esse: „προστάτην τῆς τῶν Ναζωραίων (— indicatur urbs in Galilaea sita, et Nazaraei eidem sunt, qui Galilaei —) αἱρέσεως“ [5]). Quam ob rem nescio an auctor, qui saepius sacris libris alludit, ex ss. Patrum scriptis tamquam primo fonte nomen „Γαλιλαῖος“ perceperit. Ceterum id etiam trans fines Palaestinae migrasse sequitur ex his Suidae verbis [6]): „Ἰστέον, ὅτι ἐπὶ Κλαυδίου βασιλεύοντος μετωνομάσθησαν οἱ πάλαι λεγόμενοι Ναζηραῖοι καὶ Γαλιλαῖοι, χριστιανοί“. Quidni postea quoque frequentes novae religionis adversarii odii plenam appellandi rationem divulgaverint [7])? Quidni doctus quidam, novi appetens, aliquod nomen noverit et adhibuerit, quod non erat in ore omnium? Ergo ex vocabulo „Γαλιλαῖος“ nihil certi concludi potest. Jam proposito nostro non alienum videtur esse, disquirere, qui tandem fuerint ipsi illi christiani, quos tantopere Luciani aemulator increpat. Certe in horum numero erat unus „Γαλιλαῖος“, ut et Χαρίκενος (cp. 20.) et Χλευόχαρμος [8]) (cp. 21.). Illi susipcantes, mox magnas fore reipublicae calamita-

---

[1]) Gib. p. 393.

[2]) Gib. p. 387 et cf. Gesn. disp. cp. XXXIX., p. 601.

[3]) Cf. Gesn. disp. cp. 39—41.

[4]) Cf. Wieland. l. c. p. 398, A. 24.

[5]) Apud Joannem (in evang. 7, 52) Pharisaei Nicodemum alloquuntur: „Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ;“

[6]) Cf. Suidas s. v. Ναζηραῖος.

[7]) Vehementer doleo, me propter tenuem meam supellectilem literariam persequi non posse vestigia, quae monstravit Gesnerus p. 599, nota 3... ...... Manes autem, qui hic nominatur, quum omne additamentum desit, probabiliter ipse ille novorum praeceptorum auctor erat, qui tormentis misere interfectus est a. 277. p. Ch. n. cf. Alzog l. c. p. 150.

[8]) Χλευσόχαρμος = cuius nugax et illusorium est gaudium cf. Gesn. p. 532.

tes, finguntur „*ἄνδρες ἐπικεκυφότες καὶ κατωχριώμενοι*“ (cf. cp. 23). Capite 26. in initio interrogat Triephon amicum: *Τί δὲ πρὸς ταῦτα ἔφησαν, ὦ καλὲ Κριτία, οἱ κεκαρμένοι τὴν γνώμην καὶ τὴν διάνοιαν*; et paulo ante (cf. cp. 21.) auctor aliquem christianum oratorem a Chleuocharmo hoc modo describi facit: „*...ἐπεδείξατό μοι τις κακοείμων, ἐξ ὀρέων παραγενόμενος, κεκαρμένος τὴν κόμην....*“ Chleuocharmus prodit *τριβώνιον ἔχων πολύσανθρον, ἀνυπόδετός τε καὶ ἄσκεπος...*“ (cp. 21.). Huc accedit, quod Critias (cp. 23.)[1] introducitur in domum quandam absconditam, quam ecclesiam putare eo vetamur, quod neque de mulieribus neque de infantibus quidquam audimus. Eas ob causas maxime consentaneum est, nos cogitare de monachis tonsura insignitis. Jam vero constat, *μονάχους*, quum *ἀναχωρηταὶ, ἐρημῖται* iam tertio p. Ch. n. saeculo a strepitu urbano in solitudinem decederent[2]), quarto demum saeculo societatem (*κοινόβιον*, claustrum)[3]) iniisse; anno enim 340. Tabennae, in insula Nili, Pachomium primum commune monachorum domicilium instituisse, memoriae proditum est. Ex Aegypto ea institutio postea translata est in Palaestinam, ubi Basilius Magnus[4]) (329—379) eius modi coloniam condidit Caesareae Novae, inde in Syriae fines intravit. Verum Byzantii sub Juliani imperio iam per quoddam temporis spatium monachos fuisse, non credendum est. Atqui ei monachi, quibus in Philopatride occurrimus, iam fama et auctoritate fruebantur[5]), quippe quos auctor salibus suis dignos esse censeret. Quapropter illa imago, quae in dialogo de obscuris christianis et procul a via publica (cf. cp. 23.) habitantibus adumbratur, argumenta Gesneri omnibus numeris perfecta et absoluta esse non patitur.

Restant duo scrupuli eique gravissimi, quos si quis sedulo perpenderit, cum Gesnero vix amplius consentiet; dico et seriem conviciorum, quae in gentilium deos collata videmus (cf. cp. 4—12.),

---

[1]) Docemur hoc loco (*ἐς χρυσόροφον οἶκον ἀνήλθομεν...*) interiorem domum magnifice exornatam fuisse, et comprehendimus, auctorem pauperem (cf. cp. 29: *οἶδας γὰρ τὴν ἐμὴν πενίαν, ὡς ἐγὼ τὰ σὰ*) aliquem claustris divitias, quibus abundabant et circumfluebant, invidisse.

[2]) Cf. Alzog l. c. p. 203.

[3]) Cf. Alzog p. 315.

[4]) In libro qui inscriptus est: „*Lebensbilder der Heiligen*“, *krit. histor. dargestellt von Dr. Th. Stabell (aus dem Stifte in St. Peter zu Salzburg) 1 Bd. p. 792,* haec inveni: „*Basilius begab sich auf Reisen, nicht nach Constantinopel, um am kaiserlichen Hofe um Ehren und Würden zu buhlen — sondern nach Aegypten, Syrien, Palaestina, um .... die glaubensreichsten Einsiedler zu besuchen u. s. w.*

[5]) Cf. cp. 26: „*....τὰ γὰρ παρὰ τῶν ἀστικῶν θρυλλούμενα περὶ ὑμῶν....*“.

et caedem virginum in Creta insula patratam (cf. cp. 9). Quid de priore re Gesnerus sentiat, arctis unius capitis (XLI.) finibus circumscripsit. Haecce habemus omnia: „Bene adhuc in Juliani tempora convenit Philopatris. Sed scrupulum iniicit illud, quod non Christiani tantum irridentur hoc dialogo, sed gentilium etiam Deastri acerbissime priori eius parte perstringuntur. Videri igitur alicui possit, illum non esse scriptum in Juliani gratiam, cui minime omnium probari numinum suorum insectatio potuerit. Sed plures hic sunt elabendi viae. Forte auctor, ut aegre faceret Christianis, exososque illos magis Juliano redderet, quibus ludibriis avita numina traducerent, in Triephontis persona repraesentavit. Forte auctor, cum sibi Lucianum suum non tam imitandum, quam excribendum proposuisset, flosculos eius hac parte consectatus est, et verborum amoenitate ductus ipsas etiam sententias improvide assumsit: quales hodienum errores ab ineptis hominibus, quorum numero nostrum vix quisquam eximendum censebit, committi interdum, constat. Sed si vel sciens prudensque fecit, tamen timendum ei non erat, ut Julianum offenderet, ut qui ipse absurdas de Diis fabulas, a poetis ad res subliniores sub istis quasi symbolis repraesentandas, putabat esse confictas [1]). Quin ipse falcis iocis in Deos illos *ἀποσκώπτει* [2]), ut adeo ab ira eius ob laetam ficulneorum numinum maiestatem metuere sibi auctor Philopatridis non debuerit. Ita Socratem impietatis postulat Aristophanes, derisor ipse Deorum, qui publice tum colebantur, maximus. Et novimus, hoc profuisse vitae Christianam religionem, ut ethnicos etiam puderet anilium fabularum, quemadmodum Luthero et Calvino multa debent remota scandala illae etiam ecclesiae, quae in Romani Pontificis ditione manserunt.“ Quae verba quum iterum atque iterum pertractarem, videbar mihi videre aliquem in angustias inductum, qui, quibus artibus elaberetur, omnia circumspiceret. Prospere tamen ut se expediret, Gesnerus non assecutus est. Nisi vero quis opinatur, sub eiusdem Triephontis persona latere duas plane sibi oppositas. Intelligerem ego, hunc, quum in plures deos principes bilem effundit, christianorum partes tueri, si forte postea (cp. 12.)

---

[1]) E. g. Or. in Matrem Deorum p. 170. Veteres, ubi investigata a se rerum principia detexissent, *ἐσκέπασαν αὐτὰ μύθοις παραδόξοις, ἵνα διὰ τοῦ παραδόξου, καὶ ἀπεμφαίνοντος τὸ πλάσμα φωραθὲν, ἐπὶ τὴν ζήτησιν ἡμᾶς τῆς ἀληθείας προτρέψῃ.* Ita oratione in Solem p. 136: „*ἄπιστα καὶ παράδοξα ποιητικῆς Μούσης ἀθύρματα* vocat, quae de *συνδοιασμῷ καὶ γάμοις* Deorum dicantur apud Homerum.

[2]) In illius Caesaribus D. Marcus, ut se Deorum imitatorem probet, illorum corpora *τῆς ἐκ τῶν ἀναθυμιάσεων τροφῆς* indigere asserit, et Jovis exemplo (Il. E. 897) indulgentiam erga Commodum suum tuetur. In fine huius Commentarii *τρυφὴν* et *ἀσωτίαν* Deas comminiscitur &c.

diceret, se a „Galilaeo“ Jovem aliosque deos parvi aestimare didicisse. Quod quum non ita sit, interpretemur necesse est, Triephontem fecisse suum ipsius de diis iudicium et apertis utramque religionem maculis adspersisse. Neque magis intelligimus, eum per octo capita (4—12.) Jovi, Apollini, Neptuno, Marti, Veneri, Hermae, Gorgoni, Minervae, Junoni deinceps scite maledicentem, sententias protulisse imprudenter et inconsulto. Et Julianum aeque atque omnes homines maiore eruditione absurdas de diis fabulas pro mere confictis habuisse, id Gesnero contendenti non est, quod repugnemus. Attamen fallitur dicens: „Quin ipse Julianus iocis in deos illos *ἀποσκώπτει*“. Hoc mehercle ex Caesaribus effici non potest. Adscribere libet totum de quo sermo est locum [1]). „*Καὶ ὁ Ἑρμῆς βλέψας πρὸς τὸν Μάρκον, Σοὶ δὲ, εἶπεν, σοβαρὲ, τί κάλλιστον ἐδόκει τοῦ βίου τέλος εἶναι; Καὶ ὃς ἠρέμα καὶ σωφρόνως, Τὸ μιμεῖσθαι, ἔφη, τοὺς θεούς..... Ἀλλ' ἔγωγε, εἶπεν, οὐχ ἧπερ οὖν ᾤμην τοὺς θεοὺς μιμεῖσθαι, ταύτῃ προσεφερόμην σιτία καὶ ποτά· τὸ σῶμα δὲ ἔτρεφον, ἴσως μὲν ψευδῶς, πειθόμενος δὲ, ὅτι καὶ τὰ ὑμέτερα σώματα δεῖται τῆς ἐκ τῶν ἀναθυμιάσεων τροφῆς...*“ Ergo Marcus, stoicus ille maxime severus, pro magna sua modestia primum simpliciter ait, se deos imitari optimum iudicare, et verbis: „*καὶ τὰ ὑμέτερα.....*“ Julianus errorem stoicorum, quo deis corpora esse hi putabant, detegere vult. De irrisione quominus hoc loco cogitemus, contextu quam maxime prohibemur. Contra vehementer ludit Triephon, si quidem iuriiurando per Jovem et reliqua numina faciendo nihil omnino tribuit. Idem pertinet ad alterum locum, quo Julianus *Τρυφὴν* et *Ἀσωτίαν* Deas comminiscitur. Ipse sibi causam dicat Julianus [2]): „*Ὁ δὲ Κωνσταντῖνος, οὐχ εὑρίσκων ἐν θεοῖς τοῦ βίου τὸ ἀρχέτυπον, ἔγγυθεν τὴν Τρυφὴν κατιδὼν, ἔδραμε πρὸς αὐτήν. Ἡ δὲ ὑπολαβοῦσα μαλακῶς καὶ περιβαλοῦσα τοῖς πήχεσι, πεπλοίς τε αὐτὸν ποικίλοις ἀσκήσασα καὶ καλλωπίσασα πρὸς τὴν Ἀσωτίαν ἀπήγαγεν.*“ Ridetur et perstringitur Constantinus Magnus [3]), non item deae *Τρυφὴ* et *Ἀσωτία*. Nam quod earum mentio fit: eo vix quisquam una cum Gesnero offenditur; atque per singulas etiam huius libri partes Juliani propria erga deos pietas emicat et elucet.

Ac prorsus eundem Julianus se praebebat et in scribendo et in republica gerenda, ut deorum adversarius aliquis sibi gratiam eius

---

[1]) Cf. „*Ἰουλιάνου Καίσαρες*“ *von Lasius (mit einer Vorrede von Spanheim über griech. Satyre und röm. Satire). Greifswalde 1770, p. 126 ff.*

[2]) Cf. *Ἰ. Καισ.* p. 138 ff.

[3]) Cf. *Καίσ.* l. c. p. 58, ubi Jupiter, in Constantinum Magnum respiciens, loquitur: „*ἀλλ' οὐ θεμιτὸν εἴσω φοιτᾶν, εἶπεν, ἀνδρὶ, μὴ τὰ ἡμέτερα ζηλοῦντι*“.

minime conciliare posset. Quo id magis perspicuum fiat, e re nostra est, historia duce totam Imperatoris vitam persequi.

Admodum iuvenis quum Julianus mortis periculum, quo Gallus frater, Constantii Imperatoris inimicus, oppressus erat, feliciter effugisset, pius ille salutem suam se singulari deorum auxilio debere arbitrabatur [1]. Postea a Constantio Athenas tamquam exsul missus, laetus eo se contulit, viginti tres annos natus. Ita de hac re Gibbon [2]: *„Da er von seiner frühesten Jugend an einen Hang oder vielmehr eine leidenschaftliche Vorliebe für die Sprache, die Sitten, die Gelehrsamkeit und die Religion der Griechen gezeigt hatte, so gehorchte er mit Vergnügen einem Befehle, der seinen Wünschen so willkommen war.“* Athenis paulo post ad Imperatorem revocatus, nimium quantum affligebatur, atque ad deos confugiebat [3]: *„Er zitterte für sein Leben, für seinen guten Namen, und selbst für seine Tugend, und der einzige Grund seines Vertrauens beruhte auf der Einbildung, dass alle seine Handlungen von der Minerva eingegeben und er von einer unsichtbaren Leibwache von Engeln beschützt werde, welche die Göttin von der Sonne und dem Monde zu diesem Behufe geborgt habe“*. Similiter se gerebat, quum, triginta unum annos natus, a Gallicis legionibus Imperator declaratus esset [4]: *„Julian selbst erklärte in der Gegenwart des Jupiter, der Sonne, des Mars, der inerva und aller übrigen Gottheiten auf das Feierlichste, er habe, bis gegen das Ende des Abends vor seiner Erhebung, durchaus nichts von den Absichten seiner Soldaten gewusst.“* Ante bellum cum Constantio gerendum declaravit, se salutis suae curam „deis immortalibus“ committere [5], quibus verbis religionem christianam, cui animus eius nunquam deditus erat [6] palam deseruit [7]. Hac via magis magisque progrediebatur, simulatque imperium post mortem Constantii (a. 361.) consecutus est. Quam tenax suae causae a. 363. fuerit, luce clarius fit hoc loco [8]: *„Das ehrwürdige Alter*

---

[1]) Cf. Gib. l. c. cap. XIX., p. 278.

[2]) Cf. Gib. l. c. cap. XIX., p. 279.

[3]) Cf. Gib. l. c. cp. XIX., p. 284.

[4]) Cf. Gib. l. c. cp. XXII., p. 238.

[5]) Cf. Gib. l. c. cp. XXII., p. 251.

[6]) *Cf. Ritter's Kirchengesch. Bd. I. p. 169 ff.*

[7]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 320: *„Die Verstellung des Julian dauerte über 10 Jahre, von seiner geheimen Einweihung zu Ephesus bis zum Ausbruche des bürgerlichen Krieges; ...... sobald sich Julian (früher) bei feierlichen Festen der Verbindlichkeit entledigt hatte, den Versammlungen der Christen beizuwohnen, eilte er mit der Ungeduld eines Liebhabers, sein freies Opfer in den häuslichen Kapellen des Jupiter und des Mercur darzubringen“.*

[8]) Cf. Gib. l. c. cp. XXII., p. 303.

Griechenlands erweckte die zärtlichste Theilnahme in dem Gemüthe des Julian, der sich zu Entzückungen hingerissen fühlte, so oft er an die Götter, an die Helden und an die über Helden und Götter erhabenen Menschen dachte, welche die Denkmale ihres Genies oder die Beispiele ihrer Tugenden der spätesten Nachwelt überliefert haben ..... Athen erkannte ihn als seinen Wohlthäter ....." Testis ipse Julianus et auctor locupletissimus [1]: „... *ἀλλ' ὅμως οὕτω δή τι τοὺς θεοὺς πέφρικα καὶ φιλῶ, καὶ σέβω, καὶ ἅζομαι, καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα πάσχω, ὥσπερ ἄν τις καὶ οἷα πρὸς ἀγαθοὺς δέσποτας, πρὸς διδασκάλους, πρὸς πατέρας, πρὸς κηδεμόνας*". Quid igitur mirum, quod in laudatione Cybeles, matris deorum, eos increpat, qui deos ludificari audeant [2]. Sua manu adiunxit epistolae a. 362. ad praefectum Aegypti missae haec [3]: „*Die Verachtung, welche man gegen alle Götter bezeigt, erfüllt mich mit Kummer und Unwillen. Es gibt nichts, was ich mit mehr Vergnügen sehen oder hören würde, als die Nachricht, dass Athanasius (der Erzbischof von Alexandria) aus ganz Aegypten vertrieben ist. Der elende Bösewicht! ...*" Jovis amicos suos quoque habebat et summa cum eis familiaritate coniunctus erat [4]: „*Julians Schwärmerei machte, dass er die Freunde des Jupiter als seine persönlichen Freunde und Brüder betrachtete, und obschon seine Parteilichkeit ihn das Verdienst der christlichen Beständigkeit übersehen liess, so bewunderte und belohnte er doch die edelmüthigen Gesinnungen derjenigen Heiden, welche die Gunst der Götter der Gunst des Kaisers (d. h. eines seiner Vorgänger) vorgezogen hatten*". At Julianus antiquam religionem sibi corrigendam et emendandam esse iudicabat. Recte quidem: sed hoc tantummodo ad institutiones pertinebat [5]. Ad extremum meminerimus oportet, etiam unum illum christianorum Deum „*τὸν Ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις*" [6]) et iureiurando (cp. 9.) et gratulatione (cp. 29.) honorari, id quod Juliano probari non potuit.

Quodsi quis omnia, quae consilio e diversis Juliani aetatibus contulimus, mente et cogitatione complexus erit, mecum, credo, consentiet, non futurum fuisse hominis sanae mentis, si quis tali Imperatori gratificari voluisset odiosissimis de deis nugis conscriptis, ac

---

[1]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 313.
[2]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 324.
[3]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 426.
[4]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 357.
[5]) Cf. Gib. l. c. cp. XXIII., p. 352 ff.
[6]) Cf. Acta Apostolorum cap. XVII v. 23: „*Διερχόμενος* (loquitur Paulus apostolus Athenis) *γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ. ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν*".

minime quidem tempore expeditionis contra Persas susceptae, quum in pectore Juliani benevolentia erga deos penitus insedisset et inveteraesset. Quam ob rem ne hoc quidem fieri potuit, ut Lucianus quidam sophista [1]) ipsique illi Imperatori amicus hac commentatione amicitiam suam comprobarèt et illustraret.

Haec de priore re dixisse sufficiat, et in eo est, ad ut alteram de virginum caede quaestionem accedamus. Audimus enim in Philopatride (cf. cp. 9.) Triephontem Critiae, qui Gorgonem esse caput alicuius virginis affirmaverat, hocce modo respondentem: (cf. cp. 9.) ...*οἶδα μυρίας διαμελεϊστὶ τμηθείσας (παρθένους) Νήσῳ ἐν ἀμφιρόῃ, Κρήτην δέ τέ μιν καλέουσιν*". Quaeritur, num Juliani tempore tale quid in Creta insula factum sit. Et detexit Gesnerus [2]), Cretam cum Palaestina saepe confusam esse, Gazam Minoam dictam, et Gazaeos tum in christianos saeviisse: hinc sumit interpretationem; cui tamen adversantur ac repugnant verba:

„*Νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ*".

Caput V.

Quinque igitur res efficiunt, ut in Gesneri sententia erudite illa diligenterque defensa non iam acquiescamus: primum, quod Triephon (cp. 29.) sperat, mox Aegyptum pacatum iri, deinde quod (cp. 23.) in dialogo monachis occurrimus una in claustro Byzantii viventibus, tum obstat illa de Spiritu Sancto formula (cp. 12.) a. 381 p. Ch. n. constituta, praeterea caedes virginum in Creta facta, vita denique et mores ipsius Juliani Apostatae. Itaque quum rebus bellicis in Asia gestis, tum re Cretensi transilire cogimur ad saeculum decimum. Qua in re maximam partem ducem sequimur Niebuhrium, qui in praefatione editioni Leonis Diaconi praemissa [3]) sic disputat: „Restat libellus, cuius titulum in indice [4]) fortasse non sine reprehensione aliquis conspiciet: Philopatris dialogus; quem inter Lucianeos censere solebant maiores, nunc, auctoritatem Gesneri, viri magni, secuti, plerumque ad Juliani Aug. aetatem referunt. Attamen Solanus in illo agnoverat formulam de Spiritus Sancti processione (c. 12), quae nono demum saeculo [5]) exorta est, — falsus in eo, quod

---

[1]) Cf. Gesn. diss. cp. XLII.

[2]) Cf. ed. Bip. Annotationes pag. 513, 514 ad vocem „*Κρήτην*".

[3]) Cf. Corp. Scriptt. Byzant Hist. pars XI. L. D. Bonnae MDCCCXXVIII.

[4]) Index variorum libellorum est, qui Nicephori Phocae et Joannis Tzimiscis historiam illustrant.

[5]) Error hic est; IX. saeculo, Photio illo auctore, inter Occidentis et Orien-

sibi persuaserat, c. 9 fabulam de S. Ursula, virginumque agmine scriptoris animo esse obversatam: unde colligebat eum ante saecucum XII. non exstitisse. Etenim vel maximo pignore contendere ausim fabulam istam ne innotuisse quidem Graecis. Hasius, semper cum honoris praefatione nominandus, de Timarione disserens, id tantum pronunciavit, Philopatrin quoque scriptum esse medio aevo. Quod ubi legebam, movit me protinus summa viri in universa philologia, in Byzantinis autem rebus unica auctoritas, ut libellum tunc demum accurate inspicerem; quo facto mox animadverti scriptum esse imperante Nicephoro Phoca, paulo ante eius necem a. 968 vel 969. Hinc est quod immani quodam et efferato gaudio de virginum caede in Creta insula laetatur (c. 9), ubi, quam atrociter in mulieres infantesque saevitum sit, ex Theodosio cognoscere licet (V. 85 sqq.): — et nuncius, quem Cleolaus affert, de victoriis imperatoris Syriacis accipiendus est: — spes quidem concepta de capienda Babylone (Bagdado) et de Aegypti Arabiaeque servitute, licet immodica, stulta tamen non erat: Scythae, quorum incursiones finiri posse vix audent sperare iidem illi, qui de Asia domanda somniant, Bulgari sunt: denique seditiosi coetus, ingrataeque molitiones adversus victorem Augustum, cui libelli scriptor se commendare studet, et moeror prave religiosorum de publica gloria, turbabant imperium Nicephori, donec eum everterent. — Quae omnia Hasium quoque vidisse, intellexi, quum ante annum viri egregii sermonibus fruebar."

Atque operae pretium est, ad ipsum fontem, unde Niebuhrius, vir amplissimus, hausit, ad Theodosium accedere, qui fuit X. saeculo et quinque Acroases composuit de Creta a Nicephoro [1]) Saracenis erepta. Quod carmen iambicum, ne quid gravioris momenti omittam [2]) exhibet haec: (cf. *Ἀκροασις Α'ν* 110—133 in ed. Leonis D. p. 268.)

Ἐπεὶ δὲ πάντς ἦσαν ἀντὶ θηρίων,
ἐκεῖθεν ἔνθεν λοιμικῶς ἡπλωμένοι,
ἦν θρῆνον οἰκτρὸν καὶ φυγὴν βλέπειν τότε,
καὶ θαῦμα πικρὸν συμφορᾶς ἐναντίας.
ἔκειτο καὶ γὰρ πλῆθος εἰς κόνιν μίαν
ἀνδρῶν, γυναικῶν δυςτυχῶς ἐσφαγμένων.
ἐκεῖ τὰ τέκνα πρὸς σφαγὴν ἠπειγμένα

---

tis ecclesiam certamen exortum est de additamento: „filioque", et tum quaerebatur, num Spiritus S. a patrio *filioque* processisset — cf. Alzog l. c. p. 468 ff.

[1]) Regnabat a. 963—969.

[2]) Niebuhrius non omnia notavit.

ἔπιπτον εἰς γῆν τῇ ποδῶν περικλάσει.
ἐκεῖ γέροντες τῷ χρόνῳ κεκυφότες,
ὄλισθον εἶχον ἐμποδὼν πεπτωκότες,
καὶ φοινικὴν ἔβαπτεν τὸ ξίφος τρίχα,
ἣν εἶχε λευκὴν ὁ χρόνος βεβαμμένην.
ἐκεῖ γυναῖκες ἀγκαλῶν κάτω βρέφη
ἔρριπτον εἰς γῆν, καὶ γονῆς ἀστοργίαν,
κίνδυνος ἀντήγειρε ταῖς τεκνοτρόφοις.
ἀνῆπτο καὶ πῦρ, ἀντέλαμπε τὰ ξίφη,
ἐπορφύρου γὴν ἡ ῥοὴ τῶν αἱμάτων,
καὶ Κρητικοῖς ἦν τοῖς τόποις μεμιγμένη,
ὡς χρῶμα καινὸν, τρίχροος τιμωρία.
ἐπεὶ δὲ Κρητῶν δεῖπνον οἱ μὲν ὀρνέων
ἔκειντο νεκροὶ καὶ πνοῆς ἐξηρμένοι,
ἄλλοι δὲ τὴν νέκρωσιν ἱππικῷ τάχει
φυγόντες εἰσήγοντο τῶν πυλῶν ἔσω."

Mox ipsa Cretensium urbs capitur [1]:

„ὁ σὸς δὲ, παμμέγιστε Ῥωμανὲ, στόλος
τείχη στραφεὶς ἔπληττεν ἐν προθυμίᾳ
χαίρων κατασπῶν ταῦτα, ῥίπτων εἰς χθόνα.

Magna ibi quoque strages facta est [2]:

„οἷος σπαραγμὸς, γυμνὰ Ῥωμαίων ξίφη
ὅταν κατεῖδον τέκνα μικρὰ μητέρας,
τὰς μὲν βρόχοις ὄπισθεν ἐστρεβλωμένας,
τὰς δὲ πρὸς αἷμα καὶ κόνιν πεφυρμένας,
τάς δὲ στοιχηδὸν εἰς σφαγὴν προκειμένας.
ἐκεῖ τὰ τέκνα πατέρας, καὶ πατέρες
παῖδας κατησπάζοντο, καὶ κοινῇ ξίφος
κρουνηδὸν ὁρμαῖς ἔβρεχον τῶν αἱμάτων.
ὑπῆρχε θρῆνος, ἦν βοὴ πορθουμένων.
οὐκ ἦν προφήτης ἰσχύων. οὐδὲ σπάθη.
αὕτη γὰρ ἐχθροῖς ὡς θεὸς τιμωμένη.
ἐκεῖ γέροντες εἰς φυγὴν ὡρμηκότες
ὄπισθεν ἐπλήττοντο τοῖς ἀκοντίοις.
ἐκεῖ νέους φεύγοντας ἡ χιτωνίων
ἄζωστος εἰς ὄλισθον ἔκλωθε τάσις" κ.τ.λ.

---

[1]) Cf. *Ἀκρ. δ. ν* 137 ff. p. 300.
[2]) Cf. *Ἀκρ. Ε ν* 85—101 ff. p. 304.

Idem Leo Diaconus narrat. (Hist. II. 7 sub finem pag. 26.) Neque parum ad Niebuhrii sententiam facit, quod res a. N. Phoca strenue ac feliciter gestae quaedam praebent, unde ἐπινίκιον: „Πέπτωκεν ὀφρῦς....“ (cp. 28.) apte explicetur. Nam priusquam Nicephorus Caesareae ab exercitu Imperator salutaretur [1]), iam sexaginta Saracenorum castella expugnaverat [2]). Imperator factus quotannis ipse vere ineunte expeditionem in Asiam suscipiebat et inprimis memoria dignae sunt victoriae eius Syriacae [3]), vi cepit Edessam, Arcam, Antiochiam [4]). Longius quominus progrederetur, ei mors immatura impedimento erat. Quod autem Cleolaus nuntius etiam Susa capta esse laetatur, nihil id refert, quia credibile est, eum vel incertos rumores sequentem vel prae nimio gaudio singula non ad fidem historiae accommodasse. Bulgari, ad quos Niebuhrius verba: „τὰς ἐκδρομὰς τὰς Σκυθῶν“ revocat, ante Nicephorum Romanos admodum vexaverant; is ipse cum repetentibus solita tributa paulisper conflixit [5]).

Attamen ego non intelligo, quo iure Niebuhrius scripserit:... denique seditiosi coctus — et moeror prave religiosorum...“ Qua de re nihil usquam inveni; immo, quae in Leone Diacono de morte Nicephori traduntur, longe aliter se habent. Etenim Theophano Imperatrix a marito, ut erat foedo vultu et sordida parsimonia, tantopere paulatim animum averterat, ut postremo vel contra vitam eius insidias strucret [6]), satellite ministroque utens Joanne Tzimisce. Is a Nicephoro Domesticus Orientis creatus [7]), invidia tamen et obtrectatione fratris Imperatoris ab hoc gradu deiectus erat. Arcessebantur quidam viri audaces et fide digni ad caedem Nicephori perpetrandam, et, hiemalis noctis tenebris contecti, una cum Joanne atrox illud et taetrum facinus exsecuti sunt [8]). Deinde constat, Nicephorum vivum summa erga Deum pietate et optima in monachos voluntate fuisse [9]): „Αὐτὸς δὲ τὴν συνήθη προσεποιεῖτο ἀπαρεγχείρητον σωφροσύνην διατηρεῖν, γυναικός τε συζυγίας ἐκκλίνων καὶ κρεωφαγίαν ἀποδιοπομπούμενος· ἀλλ' οἱ τὸν μονήρη βίον μετιόντες καὶ αὐτοῦ τὸν τρόπον δῆθεν ῥυθμίζοντες (ἐτίμα γὰρ διαφερόντως

---

1) Cf. L. Diac. l. III., cp. 3.
2) Cf. L. Diac. l. II. cp. 9.
3) Cf. L. Diac. l. IV. cp. 10, 11.
4) Cf. L. Diac. l. V. cp. 4.
5) Cf. L. Diac. H. IV. 5.
6) Cf. L. Diac. H. V. 5.
7) Cf. L. Diac. H. III. 6.
8) Cf. L. Diac. V. 6–7.
9) Cf. L. Diac. III. 9 cf. praeterea V. 5, 6 sub finem et 8.

τοὺς μοναστάς) οὐκ εἴων τὸν ἄνδρα ἐμμένειν οἷς ἔκρινε....." Neque contrarium coniectura efficere quisquam poterit ex hac novella, quam Nicephorus de monasteriis promulgavit [1]): „*Θεσπίζομεν, ὅσοι μοναστήρια, ξενῶνας καὶ γηρωκομεῖα συνιστᾶν βουληθῶσιν, ἐκείνων οὗτοι ἐπιμελείσθωσαν, τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ χρόνου γεγενημένων· μὴ ἀγροὺς παρέχοντας, ἢ τόπους ἢ οἰκοδομὰς ποιοῦντες· ἱκανὰ γὰρ τὰ φθάσαντα γενέσθαι· ἀλλ' ἐκείνων ἐπιμελείςθωσαν τῶν ἐξαρχῆς προςόντων...*".

Quae difficultates removentur, si, X. saeculum tenentes, cogitamus de ipso Joanne Tzimisce, qui a. 969. Nicephoro Phocae in imperio successit et regnavit usque ad a. 976. Et haec quidem mea est de dialogo sententia, ut Tzimisce Imperatore eum factum esse censeam. Inprimis enim res bellicae, quas ille etiam praeclarius Nicephora contra Persas gessit, me, ut ita iudicarem, commoverunt. Namque Tzimisces penetravit in interiorem Asiam, cepit Nisibim, urbem in Mesopotamia non procul a Tigri flumine sitam, et expeditionem contra Ecbatana meditatus est [2]). Sic paratam gloriam auxit, quum de Russis triumpharet, qui quidem a Leone Diacono H. V. 1 *Ταυροσκύθαι* et IX. 11 sub finem simpliciter *Σκύθαι* vocantur. Neque iam ita valde explicationem desiderat, quod scriptor Philopatridis magnam spem in munificentia *αὐτοκράτορος* collocat, et facilius intelligitur, unde ortae sint anxietates, propter quas auctor sine ulla humanitate monachos carpit ac perstringit. Prius illustratur hac nota L. Diaconi [3]): „*...μεγαλόδωρός τε καὶ φιλοδωρότατος παρὰ πάντας ἦν. οὐδεὶς γὰρ αὐτὸν αἰτησάμενος τῶν ἐλπίδων κενὸς ἀπηλλάττετο. πᾶσι δὲ φιλαγάθως καὶ ἱλαρῶς ἐφιλανθρωπεύετο, προφητικῶς τὸ ἔλειον τῆς εὐποΐας κιχρῶν. καὶ εἰ μὴ Βασίλειος ὁ παρακοιμώμενος αὐτὸν ἐπεῖχε τῆς ἀπλήστου περὶ τὸ εὐεργετεῖν τοὺς ὁμοφύλους ῥοπῆς, κἂν τοὺς βασιλικοὺς θησαυροὺς εἰς τὴν τῶν δεομένων διανομὴν θᾶττον συνεξεφόρησεν.* Quod contra fiebat a Nicephoro, cui eximia parsimonia crimini dabatur. Alterum inter utrumque Imperatorem discrimen ostenditur, si respicimus ad religionem. Ut Nicephorus toto pectore doctrinam ecclesiae imbibebat eiusque praecepta religiose sequebatur, ita Tzimisces, vir liberiore voluntate et aspera indole [4]) Paulicianis, quae secta ab ecclesia defecerat,

---

[1]) Cf. L. Diac. p. 309 ff. Novella I.
[2]) Cf. L. Diac. H. X. 1—2 et Gib. 13. Th. cp. LII. p. 132 cum nota.
[3]) Cf. L. Diac. VI. 30.
[4]) Cf. L. Diac. H. VI. 3 sub fin.: „*ἐλάττωμα δὲ Ἰωάννῃ τοῦτο προσῆν, ὅτι τε περὶ πότους ἔστιν ὅτε παρὰ τὸ προσῆκον ἐκώμαζε, καὶ περὶ τὰς τοῦ σώματος ἡδονὰς διεπτόητο*".

admodum favebat [1]). Idem Basilium, patriarcham Constantinopolis „ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ὑπὲρ φύσιν ἐγγυμνασάμενον“ suspicionibus sede pulsum in monasterium amovit [2]). Qua ratione necesse erat sererentur odia et sollicitudines, nimiae fortasse apud anxios quosdam homines et iure vituperandae. Atque omnino etiam tota agendi cogitandique ratio, qua quum docti Graecorum tum monachi iam pridem usi erant, minime ea erat, quae laudari posset [3]). *Der Geist der Griechen war durch die Bande eines niedrigen und drückenden Aberglaubens gefesselt, der seine Herrschaft über den ganzen Umkreis der sogenannten profanen Wissenschaften verbreitete. Ihr Verstand schwärmte in den Irrgängen metaphysischer Streitigkeiten umher* (cf. Philop. cap. 12.): *Ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία...... Σίγα τὰ νέρθε... οὐκ ἔσθ' ὧδε μετρεῖν τὰ ψυλλῶν ἴχνη“.*) *„Der Glaube an Gesichte und Wunderwerke hatte alle Grundsätze der moralischen Gewissheit bei ihnen verdrängt* [4]) *und ihr Geschmack war durch die Homilien der Mönche, die aus einer abgeschmackten Mischung von Deklamationen und Schriftstellen bestanden, durchaus verdorben ... Die Vorsteher der griechischen Kirche begnügten sich bescheidentlich, die Orakel des Alterthums zu bewundern und nachzuahmen, und weder die Schulen, noch die Kanzeln stellten Männer auf, die es dem Rufe eines Athanasius und Chrysostomus hätten gleich thun können.“* Haec atque talia videntur nimis irritasse eum, qui Philopatridem scripsit, virum ieiuna sane indole, qui quidem, si sibi temperare voluisset, librum melioris certe pretii composuisset. At dixerit quispiam: Quo tandem iure [5]) decimo saeculo [6]) aliquis scriptor tam copiose deis paganorum obtrectavit? Nonne id eo tempore ineptissimum erat? Cui ego respondeo: Hoc non magis stultum est, quam permulta totius libelli, in quo ridicula scientiae ostentatione quam plurima ex literis antiquitatis conquisita et consarcinata sunt; et nimirum conserere, quidquid

---

[1]) Cf. Gib. cap. LIV. p. 262 ff.: *„In dem 10. Jahrh. wurden sie (die Paulicianer) durch eine noch ansehnlichere Colonie, welche Joh. Tzimisces von den Chalybischen Gebirgen in die Thäler des Berges Haemus versetzte, verstärkt und vermehrt. Die Oriental. Geistlichkeit wünschte die Manichäer (= Paulicianer), die sie freilich lieber gänzlich vertilgt gesehen hätte, weit von sich weg; der kriegerische Kaiser schätzte ihre Tapferkeit, die er selbst erfahren ...“.*

[2]) Cf. L. D. H. X. 2.

[3]) Cf. Gib. l. c. LIII. p. 236 ff.

[4]) Hinc data quoque est aliqua facultas intelligendi sermones Xariceni et Chleuocharmi cf. Philop. cp. 20 et 21.

[5]) *Cf. Ritter's Kirchengeschichte Bd. 1. p. 277. „Am Ende des 4. Jahrh. gab es öffentlich keinen heidnischen Cult mehr im römischen Reiche“.*

[6]) Cf. quae de hac re supra indicavimus pag. 13.

deis vitiosi adhaerebat, erat eius, qui quodvis sacrum extenuaret et imminueret atque illum Samosatensem religiose imitaretur.

Reliquum est, ut videamus, num dialogus statum qui X. saeculo erat literarum exprimat ac referat. Est tota illa quae Byzantina vocatur aetas satis ferax eruditorum virorum profuditque doctos et inter principes, ut Leonem philosophum (886—911), Constantinum VII. Porphyrogennetum (911—959), Eudoxiam (saec. XI.), Annam Comnenam (saec. XI.) [1]) et inter privatos, veluti Stobaeum (saec. V. vel VI.), Suidam (saec. X.—XII.), Photium (s. IX.) Eustathium (s. XII.), Jo. Tzetzem (s. XII.), alios; eosque omnes notum est abundasse quidem scientiae copia et laudabili literarum studio, non ex suopte ingenio quidquam petiisse novi et singularis. Quam scribendi rationem ignotus nostri dialogi scriptor secutus est, eandem, ut totius saeculi X. propriam, his verbis reprehendit Hasius [2]). ... Accedit, ut Leonis aetas eloquentiam poneret in florida, ut ita dicam, oratione: cum magnam se quisque in dicendo laudem adeptum putaret, si, multa acervatim complexus ornamenta, poeticae dictionis aemulatione, grandioribus verbis, et duris, ne ineptis dicam, metaphoris esset usus .... " [3]). Postremo auctor exsistat Bernhardy noster, vir sagacissimus [4]): *„Die damaligen literarischen Arbeiten (deren Mittelpunkt und bewegende Kraft die Familie Basilius des Macedoniers (867—886) war) gehören sicher einigen Mitgliedern der höhern Gesellschaft an, Dilettanten oder solchen, die dem practischen Bedürfniss genügten, sind aber kein Ausdruck der Gesammtbildung. Im Hintergrunde lag, wenn auch formlos, ein innerer Trieb und etwas Achtung vor den Schätzen des Alterthums"*, quod quidem iudicium optime refertur ad dialogum Philopatridem, cuius scriptor in aliis hoc egisse videtur, ut Imperatoris triumphantis sibi gratiam conciliaret; quumque eius nomen oblivione deletum esset, libellus, ut videtur, a librario quodam propter magnam similitudinem Luciani dialogis adscriptus est.

---

1) *Cf. Bernhardy Grch. Litg. I. Thl. p. 751.*
2) Cf. Hasii praef. ad L. Diac. in editione Nieb. p. XIX.
3) Cf. Gib. l. c. cap. LIII. pag. 235, 236 et notam de versibus politicis, deinde Gesn. disputationem pag. 581.
4) Cf. Bernhardy l. c. p. 700.



deis vitiosi adhaerebat, erat eius, qui quodvis saeculum extenuare et imminueret atque illum Samosatensem religioso imitatione [illegible]. Reliquum est, ut videamus, cum dialogus statum qui X. saeculo erat literarum exprimat ac [illegible] Byzantina vocatur aetas satis ferax [illegible] doctos et inter principes, ut [illegible] Constantinum VII. Porphyrogennetum [illegible] Annam Commenam (saec. XI.) [illegible] (saec. V. vel VI.), [illegible] (XII.), [illegible] Eustathium (s. XII.), Jo. Tz[illegible] (XII.) [illegible] notum est [illegible] studio, non ex [illegible] Quam scribendi rationem [illegible] eandem, ut totius saeculi X. [illegible] sius [4]). ... [illegible] ut ita dicam, oratio [illegible] adeptum putare [illegible] dictionis aemulatione [illegible] cam, metaphoris [illegible] ... [illegible] Bernhardy noster [illegible] Arbeiten [illegible] Basilius [illegible] Mitgliedern [illegible] dem [illegible] Gesammtbildung [illegible] immer [illegible] quod quidem [illegible] cuius scriptor in [illegible] tis sibi gratiam [illegible] esset, libellus [illegible] litudinem [illegible]

---

[1]) Cf. Bernhardy Griech. Litg. I. Thl. p. 572.
[2]) Cf. Hasii praef. ad L. Diac. in editione Bekk. p. XIX.
[3]) Cf. Gib. l. c. cap. LIII pag. 78, 119 et notam [illegible], deinde Gesn. disputationem pag. 531.
[4]) Cf. Bernhardy l. c. p. 700.